



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Medit. unica de gratiis pro felici Exercitiorum successu referendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

gratitudinem recurrunt ad mare, divinæ bonitatis & liberalitatis iterum fluere incipiant.

## Tessera.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Ps. 102.

## MEDITATIO II.

DE GRATIIS PRO FELICI EXERCITIORUM  
SUCCESSU REFERENDIS.

Prælium I. Est, constituere se in conspectu SS. Trinitatis, Christi, B. Virginis, & SS. Patronorum pro secessu electorum, & ab ijs benedictionem pro propositorum executione expectare.

Prælium II. Est, petere gratiam, ut beneficia in hoc secessu accepta clarè cognoscere, rectè æstimare, & dignè compensare valeas.

## Punctum I.

Considera I. qualia potissimum beneficia à Deo in hoc secessu acceperis, duplicia videlicet, nempe I. *Copiosas illustrationes Intellectus*, quibus finem & felicitatem creationis & vocationis tuæ clariùs agnoscere, mediâque idonea ad eundem obtinendum invenire, & eligere poteris. II. *Efficientes impulsus Solutatis*, quibus ad finem talem totis viribus quærendum, mediâque electa studiosè adhibenda impellebaris.

Considera II. Quàm magna sint hæc beneficia; id non difficulter cognosces, si firmiter tibi persuadeas, ea esse quasi duo talenta, quibus Dei gloriam, & salutem tam tuam, quàm alienam lucreris; hinc enim facilè colliges, cum utilitas & bonitas mediæ ex bonitate & præstantia finis conjiciatur, quemadmodum sine hoc nihil præstantius reperiri potest, ita nec majus tibi beneficium obringere potuisse, quàm distarum illustrationum & motionum communicationem.

Considera III. Quàm æquum sit, ut hæc duo talenta magnificas, atque ad debitas pro iisdem gratias referendas excitare te studeas. Colloquium ad SS. Patronos.

Pun-

## Punctum II.

Considera I. Quas potissimum gratias exigit à te Deus, videlicet ut dicta duo talenta, sicut à Deo, speciali ex dilectione & gratia accepisti, ita simili ex motivo bene collocare, atque adeò proposita tua studiosè exequi curaris.

Considera II. Quænam sint proposita, quorum executionem Deus à te tantopere exigit, & desiderat, videlicet, ut ipsum sincerè diligas, & proximum tuum, sicut teipsum, per illum modum, quem in his exercitijs didicisti, in his etiam duabus dilectionibus non solum lex & Prophetæ, sed totam etiam propositorum tuorum summa consistit.

Considera III. Quem fructum ex tali collocatione talentorum sperare possis, videlicet, ut alia duo talenta, scilicet gloriam Dei, & salutem animarum lucreis, & cum gaudio quondam ad ipsum accedere, dicereque possis: *Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo super lucratus sum.* sicque vicissim ab ipso audias: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Colloquium ad B. Virg. nem.

## Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere debeas, & velis ad talentorum tibi commissorum fructuosam usurpationem, seu propositorum executionem, nempe I. Ut assiduo memineras charitatis per talentorum talium commissionem tibi à Deo exhibitæ, & rationis severissimæ ab eodem exigendæ; sic enim amore simul & timore incitaberis, ut ea bene impendere studeas. II. Ut occasiones, in quibus hæc talenta bene impendere possis, diligenter prævideas, & ne translabantur, sedulo caveas. III. Ut memor semper adhortationis à Christo Matt. 24. factæ: *Et Vos estis parati, quia, quâ nescitis horâ. Filius hominis venturus est;* temporis accuratissimam habeas rationem, & quemvis diem venturæ & negotiationis tuæ postremum esse arbitreris, atque adeò talenta tua bene collocare studeas. IV. Ut frequenter rationes in eas negotiationis tuæ per-

extrema & recollectiones, ut, si fortè partem talentorum malè collocatam, aut in sudario negligentia relictam advertas, ex damni consideratione ad novam diligentiam exiteris. V. Ut, quoniam Christus ipse Jo. 15. dixit, *sine me nihil potestis facere*: eundè & SS. Patronos tuos in auxilium roces, atque adeò frequenter ab eis gratiam ad bene collocanda talenta necessariam petas, memor saluberrimi consilij à S. Leone dati, dum super verba illa S. Petri c. 1. *Sancti estote*: sic loquitur: *Præcipi sanctitatem, & modum ejus acquirenda, quasi diceret: Me diligite, & abijs, qua mihi displicent, abstinete: facite, quod amo: amate, quod facio: & cum difficile videtur esse, quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut, unde datur præceptum, præstetur auxilium: non negabo opem, qui tribui voluntatem.*

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media, utpote quæ contineant tria illa media ab ipsa sponsa cant. 1. ad obtinendum sponsi amorem adhibita, & ad alios etiam fines obtinendos perutilia, scilicet *desiderium* per verba *osculetur me osculo oris sui* indicatum: *orationem* per verba *trahere me post te* insinuatam: & *cooperationem sedulam* & *serventem* per verba *curremus in odorem unguentorum tuorum*: significatam.

Considera III. Quomodo hæc media hæctenus adhibueris, & adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum cum illis S. Augustini verbis: *Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem: compelle, ut faciam: suade ut te diligam: confirma, ut te teneam: custodi, ne te perdam.*

#### Materia Lectionis.

Post hanc meditationem & reflexionem peractam, ne statim ad negotia tua redeas, audi adhuc Deum tibi extrema monita dantem, eumque in finem primè ex libello de imitatione l. 1. c. 25. attentè perlege. Deinde ne ulla materia ex libello exercitiarum lectionem tuam effugiat, tres modos orandi à S. Ignatio præscriptos perlege, &, quomodo deinceps eosdem praticare velis, considera. Sunt autem hi modi, ut in compendio habeas, ferè sequentes.

Primus est, ut post brevem considerationem, quò accedendum, & quid faciendum sit, & orationem præparatoriam